



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola V. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

EPISTOLA V.

EIDEM.

Carissime in Christo Frater: magno te-
 neor desiderio tui videndi. & est quod
 sperem è Dei benignitate, hujus compotem
 voti me citò futurum. Interim nulla mihi
 dies abit quâ te non videam in spiritu; nec
 dubito quin tu quæque isto modo me vifas:
 itaut mutuo continuè fruamur invicem con-
 spectu. Te per quantum Deum amas, oro,
 scribe mihi de te, de Christianis omnibus,
 ut valetis, quid agitis, quo loco sint apud
 vos omnia. Volo autem distinctè ac minu-
 tim de singulis doceas. Expecto hîc Pulam
 à Travancore hac omninò hebdomade. nec
 puto aliter futurum; quoniam ipse mihi
 scripsit se intra id tempus affore. Quid quæ-
 ris? viget mihi animus alacri de Dei boni-
 tate fiduciâ, extitutum ex isto congressu
 quidpiam quod ad aliquod ejusdem Dei Do-
 mini Nostri obsequium pertineat. quidquid
 ejus rei erit, statim ex me scies, ut Deo Do-
 mino gratias agas. Scribo Patangatinis de
 Tabernaculo ex ramis frondentibus excitando.

do . Mihi videbatur commodum congregari mulieres in Ecclesiam Sabbato mane , sicut fit Manapare ; viros autem Dominicis diebus . tuo tamen arbitrio totum id permitto . Quando ut subuenias egestati cuiuspiam tuæ , voles ad Præfectum scribere , ne expectes ultimum articulum necessitatis , sed maturè præoccupamone , ut si quo erit opus Præfecto spatio , ad rem tibi necessariam curandam , tu non excrucieris , per illam moram , penuriâ urgente . de Ioanne Artiagâ scire per te velim ubi sit , & an Deo inferviat . multum enim vereor ut perseveraturus in Dei obsequio sit , propter ejus inconstantiam quam nosti . Pater qui mecum est & ego benè valemus . Dic à me Puero Matthæo , ut pergat bonus esse , ac voce contentâ in Catechismi scholâ reddat quæ tu eum docueris ; atque hæc ipsa decore pronunciet . quando isthuc veniam , feram , ipsi munusculum Festivum , quo , scio , accepto gaudebit plurimum . Scribe mihi ecquid Pueri accurrant ad simul recitandas Orationes statis horis : & quot ex ipsis eas rectè memoriâ teneant . Velim te in his & hujusmodi particulatim explicandis nec Chartæ nec verbis parcere . Literasque istas cupio

cupio, cui primùm occurreres huc venienti,
 committi. Sit Dominus Tecum, ut esse me-
 cum eum opto. Vale. Livare ix. Kal. Majas
 An. CIÖIOXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

Franciscus.

EPISTOLA VI.

EIDEM.

Carissime in Christo Frater. Hoc primo
 die Mensis Maij accepi literas à te,
 quarum me lectio quàm delectaverit, nun-
 quam satis possem exprimere scribendo.
 Ægrotaveram hisce diebus quatuor aut quin-
 que febre ardens continuâ, eo spatio tem-
 poris bis mihi secta vena est. nunc Dei be-
 neficio melius valeo. quin ipsam penè me-
 moriam præteriti languoris, præsens ex fau-
 stis de te nuncijs lætitia delevit. Itaque
 spero, Deo juvante, iturum me ad te Pu-
 nicalem hebdomadâ sequenti. Pulam Tra-
 vancoris hodie aut cras manè omninò ven-
 turum credebamus. Cum isthuc advenero,
 quæ